

vor R.

Y 94⁴
qm

(23)
829.

DIVINA ADSISTENTE GRATIA!
DISPUTATIONEM MEDICAM
INAUGURALEM,
De
**DENTITIONE
INFANTUM,**

*Jussu atq; autoritate Gratiissimæ Facul-
tatis Medice in inclutâ propter Salam Academiâ,*

*P R A E S I D E
VIRO EXCELLENTISSIMO,*

**DN. GEORGIO WOLFF.
GANGO WEDELIO,**

Med. Doct. Theor. Prof. Publ. Med. Ducal.

Sax. Facult. suæ h.t. Decano, nec non S. R. I.

Natur. Curios. Adjuncto,

*Domino Patrono, Praeceptore atque Promotore suo omni obser-
vantie honorisque cultu etatem venerando,*

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica HONORES atque PRIVILEGIA

DOCTORALIA legitime ac majorum more
capesendi,

publico philiatrorum examini subjicit

JOHANNES ERNESTUS Krausold /

VINARIENSIS,

In AUDITORIO MAJORI, Horis ante- & post- meridianis,

Ad diem Augusti, Anno MDC LXXVIII.

JENÆ, Literis NISIANIS.

820


DISTITUTIONEM MEDICAM
GREGORIUS MEDICALIS

DE MATERIA MEDICA

MICHAELI

DE MATERIA MEDICA

82



I. N. F. PROOEMIUM.

*Ulla calamitas sola : Fatum hocce in-
economia politica, proh dolor! toto die ex-
hibet specimina, in microcosmo fasces
quoq; rapit, rigidumq; suum ac inevitabile
ius miris exercet modis, ut huic omnis ætas,
sexusq; omnis subjiciatur, & ejus jugum
ferre cogatur. Nec est, ut operose addu-
cam morborum, adultis negotium qui facesunt, myriadas,
eorumque fatalem sæpè connexum, ac quomodo unus alteri
lampada tradat, latius exponam, cum hæc quilibet propriâ
experienciâ confirmet. Latere neminem poterit calamitatum
infantum, à primâ nativitate ipsos afflignantum, farrago, ha-
rumque promptissimum, perniciosum tamen, connubium, quo
nulla sine comitibus in proscenium venit.*

Ast, si unquam triste id experiuntur fatum, certè *Den-
titionis* accidit tempore, quippe, licet omnium morborum
primis mensibus mortiferas plagas evaserint, unica restat
Dentitio, omnibus necessariò sustinenda, ubi plerumque tanta
symptomatum atque calamitatum ingruit syndrome, omniaq;
diverso alijs tempore conspicua celeri accurrunt pede, uno
impetu tantoq; teneriora adhuc corpora invadentia, ut faci-
lè succumbant. Quid? quod hos calamitatum scopulos non
dum prætervecti, spem vita inchoare vix possunt longam, ut in
proverbiū ferè abierit, genitores de infantibus non esse secu-
ros, donec variolas sustinuerint, dentesque oculares protru-
serint.

Proinde mihi jussu Gratiissimæ Facultatis Medicæ de specimine inaugurali, publicæ luci exponendo, cogitanti placuit in primis, pro ingenii viribus, dolorificum vitæcum periculo haut raro coniunctum *Dentitionis* opus examinare, & quibus auxiliis symptomatum atrociorum ferocia infringi queat, paucis proponere; quod ut cedat feliciter, faxit supremum Numen.

CAPUT I.

Dentitionis oνοματολογίαν & physiologiam continet.

§. I.

Cum consuetâ tractandi methodo ab ipsâ nominis explicazione soleat fieri initium, meritò huic quoque insistere nostrarum duximus partium. Ne verò quæ trita alias satis sunt ad nauseam operosè persequamur, pauca saltim delibabimus.

§. II. *Dentitionem* à verbo *dentire*, hoc verò ab ipsis *dentibus* natales sumere, notorium est, ut ita vi vocis non, dentium generatio, sed antea in gingivis atque maxillis absconditorum certo tempore atque naturæ motu extra gingivas *itio*, seu ex latebris *proruptio* innuatur. Dentium verò originem altius accersere piget, quo *celeberrimi Hoffmanni*, omnes hac in re frustra fudantes egregiè ridentis, censuram, evitem. *Graci* his insistentes vestigiis ὀδοντιαῖς vocant, simulque ab ὀδοντιαῖς derivant. Nostro idiomate quomodo exprimi soleat, cum omnibus notum sit mulierculis, adducere supervacaneum videtur.

§. III. Utut verò hujus vocis origo per jam dicta, satis constet, adhuc tamen gaudet latitudine quadam. (1) enim sub se comprehendere potest quamcumq; dentium prorruptionem, sive contingat primis infantia, sive pueritia, vel subsequentibus vita annis, ubi prioribus elapsis novi succedunt, vel serotini isti σωφρονιστὴς dicti prodeunt. (2) Strictiori paulò

paulò sensu illud solum designat tempus, quo infantibus primâ vice dentes antea latentes gingivas perrumpunt, atque in conspectum prodeunt. Hocque iterum duos includit actus, unum, quem Latini germinationem, Græci ὁδογένεσιν vocant, ubi dentes germinantes instar seminum germinantium altius surgunt, gingivisq; dum primum faciunt impetum, pruritum mordacem inferunt, nos vocamus, sic sezen ein: alterum, quo impetus hic ulterius continuatur, donec penitus gingivæ fuerint perforatae, ipsisq; dentes conspiciantur prominentes. Græcis, uti dicitum, ὁδογένεσις seu ὁδογένεσις ab ὁδογένεσιν vocatur, ὅταν οἱ ὁδόντες φύεν μέλλωσι τοῖς παιδίοις, explicante Galen. comment. in aphor. 25. sect. 3. quo de latius videri poslunt Gorreaus defin. med. p. m. 239. Anut. Foësius Oeconom. Hippocrat. lit. O. Cum itaque ambo hi actus symptomatum immanium catervâ non rarò stipentur insigni, coniunctim præsentis erunt tractationis.

§. IV. Proinde in dentitione examinandâ progressus quò fiat facilior, nonnulla de ipsis dentibus ceu generaliora & supposita quasi erunt præmittenda, quibus cognitis postmodum ipsa eruptio melius deduci poterit.

§. V. Removere hic lubet veterum vanas litigationes de genere partium dentibus assignando, an similares sint, an organicæ? singulis quippe experimur ferè momentis, hos cibos incidere, præparare, & per consequens actionem exercere integrum. Huc illa quoque referri potest, an pertineant ad ossium familiam? licet enim in quibusdam ab iisdem discrepent, nihil tamen obstat, quo minus ossa sui generis, seu, ut Scalig. sect. 2. exercit. 229. loqui amat, suæ speciei dici queant.

§. VI. Situm dentium in homine operose demonstrare non opus est, cum hi leviter etiam diductis labiis concinnò sanè ordine in utriusque maxillæ extremitatibus simplici serie clavicularum lyra ad instar promineant, tam providâ naturæ solertia, ut inferiores superioribus quidem committi possint, non tamen omnes simul & semel, (neq; enim è diametro æqualiter sibi respondent) ut variari actus possint, incisionis & contusionis ciborum. Hinc commissis molaribus

84

ribus , anteriores superiores transgressi inferiores tegunt ; coeuntibus anterioribus hiant molares , quiete & actione utrinque mutua intercedente . Rarum hinc aestimandum , quod Eustach . lib . de dent . cap . 29 . refert , dentem mulieri Romanae in medio palati fuisse enatum . Similiter simplex eorum ordo sèpè duplicatur , imò triplicatur , sicut de Hercule hoc refert Caelius lib . 4 . cap . 13 . de Mithridatis filia Val . Max . lib . 1 . cap . 8 . similiaque exempla & nostro àvo visa sunt . Omnia tamen hæc naturæ alias consuetum ritum non tollunt in totum ; sed ejus aberrationem , seu lusum potius , nobis ob ocu- los fistunt .

§. VII. Majorem meretur considerationem decens , quod dentibus intercedit , intervallum , Græcis àquös dictum , multis licet modis in diversis subjectis varians , modò longius , modò brevius distans , unde credula & ad superstitionem pronæ mulierculæ multa præfigiendo fabulantur de longævitate brevitateq; vitæ , peregrinationibus ad exteris , aliisque , omnia tamen sine fundamento ac rei veritate , nisi quoad prius unà respectus fiat ad numerum , quo magis enim distant dentes , èd ferè pauciores esse conservaverunt . Notatum verò jamdudum à Coo : οἱ μαρπόθοι πλεις ὁδοῖς
ἴχθοι , qui longæ vita sunt , plures dentes habent , l . 2 . epid . 5 . 6 . t . 2 . quò de vid . Laurent . bīf . anat . l . 2 . c . 21 . Natura enim hoc ipso nobiliora longè intendit , potissimum verò duplēm propter finem id fabricavit , nimirum quo dentes statuto suo tempore non uno impetu omnes , sed divisim , è torulis suis egredi possint , alias enim teneri adhuc infantes dolorum hinc productorum cumulo sustinendo planè deficerent ; postea quoque dum unus alterque ab officio suo desciscit , nec huic variis de causis præesse amplius potest , acerbissimorum simul cruciatuum promus condus existens , facile ceu rebellis potest ejici sine alterius adhuc fani læsione , ut hinc molestiæ fiat finis dolorumque medela . Quæ omnia dubio procul non adeò contingenter feliciter , si omnes dentes essent continui , sicut natura ita lusit in Pyrrho Epirotum rege , Eutyphaeo Cyreneo , inde μονόδον dicto , aliisque Insigne

7.

Insigne tale exemplum refert *Herodotus in Calliope*, repartam
nimurum maxillam, habentem dentes et si distinctos, tamen
ex uno osse universos, tam molares, quam cæteros. Geminum
his refert *Tineus à Guldenflee Cas. med. lib. 5. cas. 10.* anti-
quissimæ cuidam familie proprium.

825.

§. VIII. Ait maxillarum solum sunt incolæ, minimè verò iis
continui, quod observavit *Hollerius obs. 31. p. m. 685.* Sed
radicibus solum modò unâ, modò pluribus illis, pro ratione exi-
gentia atque firmitudinis, infiguntur, quarum quælibet peculiari
loculo circumscripta visitur. Contingit verò arcta hæc conne-
xio beneficio articulationis, γομφώσεως vulgo dictæ, ubi ma-
xillis cuneorum seu clavorum in modum firmissimè infigun-
tur, ut etiam in duriorum ciborum comminutione ne quic-
quam vacillent. Majoris autem roboris gratia huic articula-
tioni suppetias haut contemnendas ferunt ὑπέρεργωσις atque
τυπτάρωσις, monente celeberrimo anatomico *B. Rofinc.*
Dissert. anat. lib. 2. cap. 27. illa quidem ratione membranarum &
vincularum, quibus dentes loculis suis firmiter affiguntur,
hæc verò ratione gingivatum copiosis membranulis atque
nervorum ramis scatentium, quæ quoad basin potissimum il-
los involvunt, firmiterque ambiunt.

§. IX. Quo vero dura hæc corpora beneficiis tum na-
turalibus, tum animalibus frui queant, hunc in finem omnis
generis *vasa necessaria* illuc sparsa sunt atque inserta. *illa-*
quidem præstant *arteriæ*, quarum origo dependet ab exter-
narum carotidum ramis, atque *venæ* oriundæ à jugulari in-
ternâ, ut hinc non opus sit, cum *Helmontio tract. alim. 7*
infont. t. 24. nutrimentum dentium à gingivis lateralibus ac-
cessere. *Hæc* vero *nervorum* à cerebro descendenterum *par*,
juxta veterum enumerationem, *tertium*, juxta recentiorum
Bartholin. anat. reform. lib. 4. cap. 22. *Willis. anat. cerebr.*
cap. 22. aliorumque, *quintum*, unde etiam natales membra-
næ istius sensilis, interiori dentium parti expansæ, accessendi.
Quamvis autem multi contentionis serram inter se recipro-
cent de modo insertionis hörum vasorum, in durissimam ut-
pote substantiam, perplacet tamen hæc de re laudati jam.

Rofincii

Rolfinii cit. loc. in regio, quā cum accuratissimo Fallopio iubens fatetur, hunc oculis assequi adeò exactè nos non posse, à posteriori tamen multa phœnomena vasorum prædicatorum insertionem abundè probare.

§. X. Ex his binæ jam dudum agitatæ fuerunt controversiæ, hic loci obiter solum attingendæ, quarum *una* sensum dentium, an per totam substantiam dispensetur? *alterum* eorum augmentationem, hujusque per totam vitam duratiōnem concernit. Notissima vel tyroni sunt argumenta circa *priorem* pro & contra magno conamine adduci solita. Ast omnia facile evanescunt, modò distingvant sensum naturalem & animalem, illum omnino totus dens, sicuti reliquæ partes omnes, possidet, hunc verò eonstr̄p radiare, quo usq; spirituum animalium per nervos adductorū organiq; huic destinati vigor fulget, certissimum est. Quæ circa *posteriorē* afferri solent, nulli non possunt esse nota, verū si penitus hæc ab unâ parte, ab alterâ verò requisita nutritionis & augmentationis ab *Excellentiss. D. D. Preside Theorem. med. part. i. sect. 4. tb. 5. & 6.* accuratissimè more suo tradita lustrentur, fculnea apparebunt omnia, nihil etiam aliud, quantum quidem perspicere possum, concludunt, quam dentes, uti alias, ita etiam post debitam suam magnitudinem seu *acquisitam* continuâ ciborum, in specie duriorum comminutione quotidie atteri atque imminui, ne verò succelus temporis planè absumentur, requiri partis absuntæ restitutioñem, quæ tamen nutritioni magis, quam auctioni propriè adscribenda venit.

§. XI. Diversus situs, conformatio, usus aliaque dentibus diversa largiuntur nomina, omnibus nota, ut alii dicantur à situ, officio & tempore eruptionis, *primores, gelasini, incisores, lactei*; alii verò à conformatiōne, similitudine, peculiarique assignato cum aliis partibus *consensu canini seu oculares*; alii denique ab officio *molares*; quibus succedunt tandem *serotini* isti sapientia dicti.

§. XII. Verū enim verò dentium hactenus, quantum hujus loci, descriptorum series in adultis uti satis conspi-
cua,

827

cua, ita ex adverso infantum recens natorum, non sine naturæ singulari providentiâ, per menses aliquot oculos nostros subterfugit, & præterlapsis demum quibusdam mensibus ordinariè unus alterç solum gingivarum fores pulsat, exitum liberum anhelat, quos successivè reliqui seqvuntur. Licet enim Romæ olim aliisq; in locis quidam cum dentibus fuerint nati, hincq; dentati dicti, quorum prolixum necit catalogum *Zwing. theatr. vit. hum. Schott. Phys. curios. lib. 3. cap. 34. §. 3.* similiaç exempla hodienum aliquando contingent, vix tamen consueto alias ordini multum derogatur, dum raro solum ea accidunt, ~~multo~~ minus Romanorum more urbis exitum inde collendum; quin potius individui istius vigor Archeiç singulare in partibus perficiendis robur ultrò inde patescit.

§. XIII. Fluxere hinc duæ alia veteribus controversiæ, paucis hic examinandæ, quarum prior de primordiis dentium, ex quâ scilicet materiâ capiantur, posterior de tempore generationis agere solet.

§. XIV. Ut verò de illa veterum sententias, ex eorum scriptis abundè hauriendas, brevitatis studio omittam, quæ nil nisi simplicem sapientum credulitatem, tota res ex recentiorum fundamentis, oculataç experientiâ, cui facilis præbenda fides, paucis dilucidari potest. Degenerationis quippe arduo alias negotio hoc tamen certò constat, semen non, juxta veterum mentem, concurrere *ναλ ὄπον*, sed *ναλ ἐνέργεια*, seu solum contagium parte suâ spirituosoire efficerre, uterumq; hâc ratione irrorare, accedere postmodum afflum seri & sanguinis materni, materiamq; partibus omnibus tum formandis, tum posteâ perficiendis suppeditare, sicut hâc in re omnes ferè recentiorum concordant. Hoc fundamento posito, absque negotio concludi potest, quod idem sanguis dentibus quoq; præbeat materiam, in specie quoad partem suam seriosoirem; in aprico siquidem est, partibus spermaticis veteribus dictis serum prima præbere stanina, quod *Barbat. dissert. de sangu. & soro pag. 44. & 57.* fusius probat: dentes verò ad hanc partium classem veteres unanimi consensu retulerunt. Accedit etiam, ut jam dicetur, principium

828

cipium eorum planè mucosum, seroque coagulato seu inspissato simillimum apparens.

§. XV. *Hæc* primo intuitu majus facessere videtur negotium, cum tempus, quo dentes egredi solent, mille variet modis, ut veteres, generationis negotii parum gnari, nil aliud concipere potuerint, quam eodem tempore etiam dentes generari, quo erumpunt. Ast habeatur modò ratum recentiorum suppositum, quod omnes corporis nostri partes delineationem seu rudimentum quoddam in utero adhuc accipient, licet earum perfectio plenaria maximè variet; facile inde colligitur, dentibus simile quid in utero accidere. postea vero perfectionem ad egressum idoneam illos expectare. Sicuti vero hæc facile de dentibus primis annis prorumpentibus concedi debent, ita dubium haut contemmendum restare fateor de illis, qui longa annorum serie pro renovatione succedunt. Verum autopsia anatomica, ut rationes taceam, omnem, eximit scrupulum, cuius ferè antesignanus habendus *Eustachius loc. cit. cap. 15.* sanctè affirmans, se plures maxillas foetuum tam abortivorum, quam maturorum aperuisse, ibidemque observasse dentes incisores, caninos, & tres molares adhuc molles, tenuissimo interstitio osse disjunctos, quibus singulis folliculus mucosus & tenax, extremâ parte perforatus, unde muco dentis pullulantis procedit, erat appensus; imò his artificiosè separatis novus iste, licet exiguis adhuc, ordo absconditus latuit, qui quasi germen est pro renovatione ordinis prioris, uti latius id dicto loco describit. Hanc quoque autopsiam plurimi recentiorum confirmant, mihiq; plus vice simplici curioso spectaculo in talismodi foetuum tam publicis quam privatis dissectionibus eorumque scelopoeiis lustrare licuit apud *D.D. Faßbium, Patronum studiorum meorum, dum multa ipsi debeo, absque honoris prefatione nunquam nominandum*, ut religio sit, amplius hac de re dubium fovere. Insuper videri merentur *Eysson. de oss. infant. cap. 3. p. m. 51. Volcher. Coiter. de oss. fæt. abort. cap. 4. Ephemer. Germ. Ann. III. p. m. 559.* aliquie.

§. XVI. Ex jam dictis plurima circa dentitionem luce meri-

meridianâ clariora redduntur, multa quoque falsæ antea hypothesi superstructa suâ corrunt sponte. Sic non amplius obscurus est proventus dentium istorum circa mensem modo septimum, modo nonum, modo duodecimum, modo tardius erumpere consuetorum, quorum primo incisores jam superiores, mox inferiores, ordine insigniter variante, in conspectum veniunt, quia non tam cum aliis rudimenta sua in uteri adhuc claustris fortuntur, quam prærogativam perfectionis præ reliquis levi etiam intuitu conspicientiam exhibent, uti *Eugenius lac. cir.* insimil quoque avtopsia comprobat. Hi enim præ cæteris laminam habent solidiusculam, canini vero minorem, nec ita solidam, molares vero tenuissimam & ferè chartaceam, ut hinc non ulterius mirum sit, si quidam citius, quidam tardius suum adipiscantur complementum, eoq; ordine, quo in utero quoad rudimenta sunt distincti, egrediantur. Hoc tenendum, quod neque ordo prorumpendi, neq; tempus tam primæ eruptionis, quam subsequentis renovacionis, quod plerumq; septimus annus est, (licet vita terminus exinde certò hariolando prædicti nequeat, quo de *vid. obf. 183. Ephem. Germ. Ann. VI. & VII.*) quibus numerus dentium adjungi potest, adeò certis limitibus possint definiri, quos naturæ lusus non transgrediatur. Ut enim natura proruptio-
nis tempus in quibusdam anticipat, dentesque in utero ad-
huc perficit; ita non raro longius protrahit, & per menses vel annos retardat, ut omnia hæc potius dependeant à nutu Ar-
chei partiumq; vigore; prout enim hic est constitutus, nul-
laque adsunt impedimenta, ita quoq; partium perfectio citius vel tardius progreditur.

§. XVII. Unde verò his dentium rudimentis super-
veniat perfectio, facilè patebit, modo considerentur vasa-
eorum supra §. 9. denominata, quæ utiq; suam simul acqui-
runt delineationem, posteaq; in reliquorum vasorum pro san-
gvinis motu necessariorum perfectione, quod ipsis debetur,
etiam accipiunt, ut hinc sanguinem arteriosum à corde pro-
pulsim, ceu canales ordinarii, pro debito modulo ad hæc mu-
cosa adhuc deferant corpora, quodque post partis serosioris se-

questrationem superfluum, iterum ad fontem, unde manavit, reducant. Hanc partem verò serosam promtè folliculus iste mucosus primò suscipit, utpote sui similem, postea perfectione majori accedente radix atq; cavitas dentium interna, longo tempore adhuc conspicua, mucorem continens, hoc fungitur munere, adductamq; materiam quasi sinu fovet, quo accedens postea Archeus, omnium alias actionum diribitor, illam immutet itaque disponat, ut dentibus rudioribus complementum largiri possit, quem modum, ejusq; procedendi ordinem, egregie tradit *Rofini. loc. supr. cit.* Mirandus postea hic artifex opera sua in tenebris fabricata, quantumq; usus postulat, perfecta publicæ luci exponere molitur, hinc gingivarum claustra perrumpit, dumq; tenelli adhuc infantes, & ne leviores quidem cuiusvis materia insultus sustinere valentes, symptomatibus hic concurrentibus viribus sint impares, eorum saluti prospiciens non statim post partum hoc tentat, sed tantam necit moram, donec viribus paulo plus valeant, & quo omnia prosperiori ulterius eveniant successu, partitis præstat vicibus.

S. XVIII. Corruunt tandem ex anteà suppositis omnia ista, circa dentium renovationem alias tradita, in specie falso putata *Vesalii hum. corp. fabr. lib. 1. cap. 11. Columbi lib. 1. de off. cap. 10.* aliorumq; apophysis dentibus afficta, quam renovationis tempore à radice eorum decidere putarunt, ut ex eadem novum postea germen proveniat. In ratione denique horum φαρμάκων reddenda longè felicius progressimur quam veteres, quippe quæ per superiorius dicta est manifestissima, dum subsequens hic dentium ordo nato infante prioribus subjectus appareat, ac licet progressu temporis osculum, ast tenui, interstitium utrosque disjungat, accedente tamen perfectionis tempore, Archeiq; motu adjuvante, illud facile perrumpitur, dentesq; hi successores tolluntur in altum, ut priores usui minus idonei lapsu facilitori ex alveolis suis ruant, novique hi ceu firmiores subsellia priorum occupent.

CAPUT

13^a

81a.

CAPUT II.

Dentitionis pathologiam atq; se- mioticam examinat.

§. I.

Per spectâ dentium generatione, perfectione, modoq; exequendi, ulterius circumstantia prorruptioni conjunctæ considerationem penitiorem merentur. Hæ enim, uti alijs ius mutare dicuntur, ita prout sunt mitiores vel atrociores, dentitionem reddunt vel facilem vel difficultem; omnem enim pruriginem in hoc negotio plane abesse, vix credibile est, cum hæc juxta Jacob. Truncon. de cumnd. morb. puer. tr. 4. cap. 9. puerorum dentientium sit inevitabilis passio. Ast licet quibusdam sine notabili molestiâ hoc naturæ opus succedat, frequenter tamen magna vitæq; periculum minitantia, totiesq; experienda, quoties hocce dentium naturale iter perficitur, conjungi symptomata, in aprico est, ut horum intuitu res hæc alias naturalissima, simili ratione ac partus, rerum præternaturalium catalogo ab omnibus medicis inferatur, monente Semnert. prax. lib. 4. part. 2. cap. 14.

§. II. Quo itaq; hujus impropriè, vel quasi dicti morbi impetus coërceatur, tenerisq; infantum corporibus, facile alijs succubituris, auxiliatrices porrigantr manus, causæ, benignæ naturæ opus difficile reddentes, paucis perpendenda veniunt.

§. III. Harum *immediata* nulla erit alia, quam *denti*um prorruptionem molientium *exitus* ultra naturæ modum sufflaminatus, hic enim prout variat, ita ipsam modifcat dentitionem, juxta Joël. prax. lib. 2. sect. 5. Hanc eti mediatæ proximiores producunt varia, quæ in primis Sylv. prax. lib. 4. tñct. 1. cap. 7. ex duplice optimè haurit' fonte, suntq; vel ipsi aliquando dentes, vel sèpius gingivæ, licet juxta consuetam alias methodum sub causarum remotiorum numero contineantur,

802.
tur; verum quia h̄ic proximiū agunt, haut absurdē hoc insigniuntur titulo.

§. IV. *Dentes* inculpat dupli ratione, *vel* quando segnius excrescunt, *vel* quando obtusiores sunt, unde difficilius penetrant. *Prius* variis accidit modis, dum materia his partibus perficiendis atque nutriendis deficit, aliisq; modis viatiata est, *vel* Archeus per se est debilior, segnius hinc motum atque ὀγκασμὸν quasi promovet, *vel* res non-naturales huic operi impedimentum ferunt, *vel* deniq; morbi varii generis obicem ponunt, aliaeq; hic non recensenda circumstantiæ huncce dentium remorantur motum. *Posteriorius* quod concernit, nimirum dentium naturalem figuram exitum citra praedita jam obstacula retardare, aliquo modo veritati consenteant videtur, cum omnia alias obtusiora præ acutioribus lento agant gradu, ac, nisi majori moveantur impulsu, planè non penetrant. At hocce assertum in præsenti negotio non in totum, sed in tantum admittere convenit; siquidem huic quotidiana & *Hippocratis* tempore jam tum probata refragatur experientia, quā constat, dentes caninos, licet præ reliquis satis duros atq; acutos, Germanis hinc die *Spitzahnē* dictos, præ obtusioribus molaribus majori cruciatu atque molestiā prodire, acutiusque gingivarum carnem afficere, dum involucra hæc pervadere nituntur.

§. V. *Gingivarum* culpa facile patet, sunt namq; frangendorum repagulorum loco, unde densiores atque callosiores dentibus rumpentibus fortius resistunt, liberumq; transitum ipsis denegando hunc laborem procrastinant. Densitatem hanc producent varia, fitq; interdum à constitutione naturali compactiori, aliisq; rebus sub causis remotioribus alias contentis, quas inter, ut unicam saltim nominem, aërem anniq; tempus plurimum conferre in confessu est, unde *Rbases* tempus vernum atque aestivum cæteris paribus dentitioni commodissimum pronuntiat, dum gingivarum laxitas observatur major, quam hieme, ubi frigus poros fortius constringere aptum est. Frequentius insuper res externæ duriores, varium in finem crebrius gingivis nudis atq; tenerioribus applicata callositatem

pro-

producunt, quo in passu matres omnesque curam infantum gerentes culpâ raro vacant, dum multa statum hunc inferentia, præpostero planè ausu, ipsis non appetentibus, omnibus obtrudunt modis. Notorium quippe est, quantam mātres adhibeant solertia in nutrimento infantibus suppeditando, adeo quidem, ut plus quam papyraceus quasi eorum ventriculus recipere ac tolerare possit, infarcent, nec pulmentis hisce edentulis apprimè congruis contentæ, durioribus cibis ipsis adfvescere dum volunt, s̄aþe lufus gratiā, ipsis porrigunt crustam panis, ossa carnis parte adhuc obducta, & alia, que omnia infantes gingivis suis promtè arripiunt, hinc & inde movendo omnibus viribus comminuere satagunt, ut taceam variii nominis crepundia, nulla urgente necessitate, sed consuetudinis ac dentitionis subsequentis facilitandæ gratia perverso usu cerebrius dicto modo applicata. Omnia enim hæc quid valeant in callositate gingivarum producendâ, testatum reddunt senes edentuli, quorum gingivæ, dum dentium vicem sustine-re coguntur, promtè calleſcunt, quod infantibus eâdem, vel faciliori ratione contingere, toto die obſervatur, ut ita matres, dum infantibus suis benefacere student, ipsis viam ad cruciatuſ enormes vitæque pericula conjunctos sternant.

§. VI. Dicta jam dentitionis difficultas symptomatum acerbissimorum ferax existit, quorum præcipua in unum quasi fasciculum collegit *Divinus Senex* *seft. 3. apb. 25.* inquiens: Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγεσθι, ἔλων ὁδοξεύσας, πυρετός, απασμοὶ, διάρροαι, καὶ μάλιστα ὄταν ἀνάγωσι τὰς κυνόδοντας, καὶ τοῖς παχύλατοις τῶν παιδίων, καὶ τοῖς σκληράς τὰς κοιλαῖς ἔχοσι. Cum dentire cōperint, gingivarum moleſti pruritus, febres, convulsiones, diarrhœa oriuntur, maximeq; cum edunt caninos dentes, & qui inter pueros crassissimi sunt, atrog; adſtricta. His tanquam frequentioribus junguntur ſaþe alia ad-huc ceu secundaria, utpote tuffis, vigiliae, faliatio crebrior, vomitus, ſuccedunt non raro in ſtatu graviori gingivarum tubercula, deinde abſcessus & aphthæ, ſuperflua caro, veficulae atque fungi, referente *Omnibon. Fernar. de art. med. infantil. 3. cap. 28.* *Sorbait med. præct. tract. 4. cap. 16.* Aſt non omnia.

834
omnia semper uno agmine ingruunt, verum modificantur à dentium eruptione citiori tardiorive, dispositione individui, & illisque concurrentibus circumstantiis.

§. VII. Primarium verò atque essentialiter inhærens *δακρυσμός* symptoma *gingivarum molestus* est *pruritus*, immediate à tensione atque expansione fibrarum nervosarum, gingivis copiosè intertextarum, seu, juxta communem loquendi usum, à solutione continui potissimum in fieri dependens, mediatè verò & quidem proximius dentes ipsi exitum affectantes, indiesq; altius surgentes existunt causa. Notum quippe est, causam alias dolorum à Galeno comm. in supr. cit. aphor. optimè comparari cum spinâ carni infixâ, quam toto die do-lores producere observamus, jam verò dentes egregiè quidem, ast cum summis infantum cruciatibus, hanc suscipiunt spartam, imò amplius progrediuntur, nec, uti spina, gingivis infixi manent, verum ulterius tendunt, donec exitum libe-riorem nanciscantur. Utí verò spina acutior dolorem accu-tiorem causatur, ita quoque dentes, quo sunt acutiores, eundem præstare queunt effectum, quā de causâ dentes canini ab Hippocrate loc. cit. omnium symptomatum præ reliquis accusantur fabri. Hinc non solum dependere gingivarum molestum pruritum, dum dentes dicto modo insurgentes membranas nerveas quaquaversum primâ invasione disten-dunt, verū etiam subsequentem plenariam solutionem, continuo in esse, ejusque effectum, dolorem nempe acutum, ḥοντοφυϊας tempore succedere, arbitrari fas erit. Huic verò dolorum causæ suppetias ferre humorum acrum unde unde ve-niens affluxus, à dolore præcedaneo sponte concitabilis, appri-mè potest, quo non solum gingivis anteà lacesitis nova suc-cedit afflictio; verum etiam ipsi dentes, quod Sorbait loc. cit. in specie monet, hujus molestiæ reddituntur participes, dum sa-lina humorum talismodi spicula illorum partibus potissimum, circa radices tenerioribus atque sensibilibus insiguntur, & hinc ob inæqualitatem suam sensum molestum ipsis inferrunt, non aliâ ratione, ac in odontalgia adulorum contingere solet.

§. VIII.

§. VIII. Dicta jam continui gingivarum solutio , hancq; fideliter insequens pedissequus, dolor acutus, instar mali corvi mala producit ova, anteā nominata. Sic *inflammatio* gingivarum hujusque individuum adjunctum, *tumor*, presso sequuntur pede, originem sumentes à sufflaminato his in partibus convyeto sangvinis circuitu. Quomodò alias dolor acutus sangvinem in motu suo impedire queat, notum est, hoc verò in negotio, vel juxta *Sylv. loc. supr. cir.* contingit, dum dicta gingivarum accidit perruptio, haut raro vasa sangivisia ibidem satis copiosa simul dilacerantur, hinc sangvis effluit, nullumq; exitum inveniens, fissitur in earum substantia, postea vero, dum non movetur, capit vitium, atq; in grumos abit, hincq; tumorem infert, quo postea sangvinis motus tum propter vasorum compressionem, tum obstructionem inhibitetur. Vei, ex *Willisi de morb. convuls. cap. 4.* mente, sangvinis motus inhibetur, quando gingivarum membranæ atque fibra distenduntur, hinc spasmis in nervis alicubi excitatis, nervi corrugati & contracti arterias, ceu frequentes socias, comprimunt & convellunt, ut hinc etiam sangvinis motus circa has inhibitetur partes.

§. IX. Subsistente per aliquot dies inflammatione ac tumore, sangvis iste congrumatus, particulis roscidis atque balsamicis exspirantibus, dum acrimoniam promptè suscipit, reliquos humores illuc propulsos simul restagnantes simili charactere signat. Quid? quod, nisi in tempore curetur, (siquidem vix ultra septem vel novem dies subsistere potest,) in suppurationem, quod ejus proprium, abit, unde gingivarum *abscessus*, *aphibæ*, & alia superius ex *Sorba* adducta in proscheinum veniunt, ipsiq; dentes statu hoc duriori vix citra gingivarum exulcerationem prodeunt, uti tale exemplum infantis, cui omnes dentes hoc modo prodierunt, à viro fide dignissimo mihi relatum memini, similia crebrior insuper expeditat experientia.

§. X. Ex eodem fonte *febris*, utpote symptomatica, derivanda erit ; quando enim talis contingit motus sangvinis inhibitio præternaturalis, indeq; inflammations succidunt,

836.

dunt, etiam vitiosa stagnationes & irregulares fluctuationes eveniant, ex his vero calor p. n. seu effectus in corde concipiatur, & hinc per totum corpus diffundatur, necesse est. Ut taceam insignem ac plane p. n. spirituum commotionem, paulo post tangendam; haec enim quid valeat in calore p. n. excitando, abunde testatur ira, similiaque animi pathemata. Promtius vero accident omnia, quod major causarum procasticarum adest apparatus; infantum enim corpora colligendis variis humorum heterogeneitatibus sunt accommodatissima, qua latentes antea facile conspirant, ut a causis talismodi evidentibus commoveantur, suamque ferociam exerceant. Hinc prout heterogeneitates variare solent, ita febris modo continua, modo intermittentis ludere solet larvam.

S. XI. Convulsio & epilepsia mater puerorum alias ab Avicenna lib. 3. fen 1. tr. 5. cap. 8. dicta, nevercae potius sustinentes munus, fideles se exhibent comites. Omnibus enim constat, quanta toti generi nervoso intercedat communio, quamvis debile atque fuscum adhuc sit infantibus, adeo quidem, ut leviori invasionem citra violentas commotiones atque contracturas sustinere non valeat. Hinc cum tarctus, tamquam acutus partium nervosarum circa dentes faucesque stabulantum adsit dolor, violentae contractioni conjunctus, de facili omnia haec ~~ωράτω τῷ θεραπευτῇ~~ communicantur, unde non solum dolor iste acutus totam nervorum compaginem, immo ipsam originem, eadem molestiam imbuat, verum etiam spiritibus animalibus motum violentiorem, & hinc subsequentem conturbationem imperat. Hoc violentiori motu humores in toto corpore contenti simul nimium quantum exagitantur, ut antea legitimam sicut qualitate imbuti, hac occasione vitium, atque acrimoniam concipient, prout haec *Sylva loc. cit.* more suo succo pancreatico atque bili applicat, quasi in similem, motum p. n. concitati ultra naturae spharam effervescent, hinc halitus tum acidos, tum vi narcoticā praeditos erumpentes, una cum similibus à parte affecta ad cerebrum amandati, hinc epilepsiam, convulsiones, aliaque producerent. Licet haec per omnia largiri non queam, illud tamen certissimum est,

ut

19.

827.

uti jam dictum, omnes anteā in corpore latentes dispositio-
nes, sive sit hereditaria, sive dependeat à nutritione vitiosâ, aliis
que humoribus acrioribus, hoc ipso dolore atque agitatione in
actum traduci, adeò quidem, ut lympha, dispositionum talismo-
di vedrix promptissima, simul vitiosè commota copiosus, ac
aliâ solet, nervis suffundatur, vitiumq; simul allatum spiritibus
atque membranis affricet, tinde nil nisi spasmodicæ contrac-
tiones multis modis variantes, ceu ex equo Trojano, prodeunt,
quibus ob continuam spirituum exagitationem *vigilia* atque
pavores junguntur continuo.

§. XII. Ait *Willisi* assertum de *morb. convuls.* cap. 4. adeò
pro universali accipiendum minimè erit, quo statuit, graviora
symptomata dentitioni conjuncta, in specie febres atque con-
vulsiones, sine præviâ dispositione sive innatâ, sive acquisitâ,
non contingere. Utut enim ipse jamjam accusaverim tales
dispositiones, utpote *Hippocratis* testimonio maximum con-
ferentes punctum, simpliciter tamen affirmare non ausim, citra
has confusa symptomata concurrere non posse. Imo aliis in
locis sibi ipsi contradicit, dum *libr. de febr. cap. 2.* omnes fe-
bres à vitiosâ deducit fermentatione, introductavel à particulis
heterogeneis, vel, citra has, à principio quodam seu elemento
sanguinis constitutivo ultra temperiem naturalem evecto. Si-
mili ratione *de morb. convuls. cap. 1.* concedit, irregularem mo-
tum contingere etiam posse citra particulam heterogeneam,
explosivam, quando spiritus animales justo impetuosis & ve-
lementius in actus suos rapiantur, ubi tanquam equi effrânes
stimulis agitati inordinatè exilant, copulamque suam, licet ge-
nuinam, violenter explodant, siccq; partes appensas velut currus
motu hoc perverso secum corripiant. Quibus suppositis fa-
cillima erit conclusio, quod dolor iste acutus, diutius præpri-
mis subsistens, omnia hæc, etiam citra dispositionem aliam, præ-
stare valeat.

§. XIII. *Salivatio crebrior* à dolore, spirituum commo-
tione, lymphæque acrimoniâ & fluxilitate arcessenda erit; ex
dolore enim vasa glandularum vicinarum, in primis salivalium,
illasque integentes membranæ yellicari solent, simulque ube-

838

rior hoc ipso salivæ in os contingit effusio. Commotio spirituum suam confert symbolam, hi enim in reliquos corporis humores uti supremum obtinent imperium, ita facile überiorē copiam ad has glandulas excretorias amandare valent, quod vel appetitus fortioris exemplo constare potest, quanta enim quæso tunc salivæ in os effunditur copia? Humorū denique acrinonia quid in salivâ copiosius movendâ efficiat, citra plurimas rationes testantur scorbutici, hypochondriaci, omnesque, quorum latex salinis scatet spiculis, hi enim molestissimo crebrius vexantur ptyalismo.

§. XIV. Conserveto hinc more saliva, continuo ad ventriculi penetralia tendens, faucium alluit isthmum. Quamvis vero salivæ blandioris in statu naturali præterlapsus etiam nobis insciis & sine ullâ fiat molestia, hoc tamen tempore, cum partim copiositis, partim spicula salina comites habens descendat, cum continuâ faucium irritatione, rofione, tuffis molestâ, plerumque sic à hocce suum perficit iter. Insuper ad ventriculum delata, stimulos ulterius infigit, ibidem suam amplius exercens tyrannidem, ipsum jam tum ad spasmodicam contractionem dispositum, à consensu partim nervorum, partim membranæ faucium ipsi quoque communis, lacte corrupto aliisque humoribus, quos ipse sanguinem fovet, in vomitus frequentes, anorexias, aliasque sexcenta concitat, uti ex deductione accuratissimâ Excel-lentiss. D.D. Ettmulleri valetud. infant. §. 31. hæc haurire mihi licuit.

§. XV. Nec ad intestina, ceu ventriculum prolongatum derivata saliva ab hac desistit atrociam, verum humorum biliosorum ibidem morantium, aliorumque per febrilem fermentationem illuc missorum ferociam strenuè adjuvat, glandulas miliares ibidem copiosissimas continuo stimulando, ut majori in copiâ humores fundant atque transcolent. Præterea intestinorum omnis generis fibras, accurate à Willis. pharm. rat. part. 1. sect. 2. cap. 2. descriptas, molestâ atque continuâ afficit irritationem, ut hinc spasmum excretorium prætermaturalem atque frequentem concipient, hincque diarrhœa dentitioni superveniens originem trahat.

§. XVI.

§. XVI. Siccō porrò silentii pede prætereundum non erit,
quod Strobelberg. manud. curand. pueril. affect. cap. 9. p. m. 21.
præ reliquis adnotavit, ipsaq; experientia comprobat, dari nimirum
dentitionem aliam veram, haec tenus examinatam, aliam vero
spuriam seu notam, qvam mulieres vocant, die Bull/ quasi Beul/
gähne/ nihilq; aliud est, quam tumores quidam gingivarum po-
steriori parte, quā dētes enasci debent, in acumen protuberantes,
& infantes à lactis suetu impedientes, ab affluxu procul dubio
humorum acrum, ibidem postea stagnantium, originem trahen-
tes, facile dentes erupturos qui mentiuntur.

§. XVII. Quo itaq; probè inter se distingvantur, signa, qui-
bus vera dentitio cognosci potest, juxta consuetam methodum
subiecta veniunt. DIAGNOSTICA facile eruuntur, juxta *Sen-
nert. loc. supr. cir. desumpta (1) à tempore*, quō dentes alias erum-
pere solent, ordinariè scilicet mense quinto, sexto, & sequentibus.
Observati vero sunt, quibus ultra biennium eruptio dilata fuit,
imò exemplum rarum nobis retulit *D. D. Praes*, quod in vicinâ
urbe cuidam lanifici decimo quarto demum anno prodierint.
Cū itaq; hoc mille variare soleat modis, huic alia adjungi debent,
circa os occurrentia, si nimirum (2) accedat frequens digitorum
aliasq; duriorum rerum in os immissio, fortiorq; gingivarum
ac scalptitia quasi perfrictio, papillarum nutricis arctior & ira-
cunda quasi constrictio seu commorsus. (3) petuntur à loco, ubi
dentes erumpere solent, ibidē enim gingiva modo albicat, modo
in altum sublata atq; acuminata est, & aliis modis hospitē latente
exitumq; affectantem prodit. His deniq; si (4) consveta jungan-
tur *symptomata*, nimirum clamor atque ejulatus præter modum
continuis, crebrior ac molesta salivæ in os effusio, calor præ-
ternaturalis totius oris interni atque genarum, aliaq; antea re-
censita conspicient, conjunctim difficile hoc opus præsens esse
certo arguunt.

§. XVIII. PROGNOSTICA omnium optimè & fusissimè horum
fidelis promus condus, *Hippocrates lib. de dentit.* tradidit, unde
commode peti possunt. Insuper regulantur juxta symptomatum
atrociorum syndromen maximè variantem. Quantum vero ad
SALVTEM & MORTEM spectat, notum est, juxta *aph. 34. sett. 2. mor-*

840.

bum hunc infantibus per omnia esse congenerem, proinde per se minus periculosem, quod effato suo *Sorbait loc. cit. cap. 2. theor. 25.* comprobat. Ast exinde omni vacare periculo absolute pronunciandum non erit, cum s^ep^e vita filum praeſcindat, quotidiana suffragante experientia, quale exemplum etiam refert *Sculjet. armam chirurg. part. 2. obf. 34. p. m. 49.* ut adeo morborum acutorum in morem s^ep^e dubias habeat prædictiones. LONGITUDO & BREVITAS ex ipsis obstaculis atque symptomatibus prædicti potest, ut illis, qui cum tussiculâ dentiunt, *Hippocratis* testimonio, tardius hoc negotium succedere solet, cuius effati rationes accuratissimè expositas vid. apud *Christian. Lang. colleg. MS. de morb. infant. cap. 19.* Accedit, quod pleraq; concurrentia symptomata ex urgentium atq; acutorum sint clasæ, unde, si exitus dentium feliciter succedat, sponte quoq; nonnunquam citò terminantur, & contra. Modus deniq; EVENTUS medico omnia symptomata atq; circumstantias probè consideranti non potest esse ignotus; constat enim ex hac tenus dictis, omnia symptomata à dolore ceu face accensâ vel spinâ infixâ dependere. Hinc salus prædicti potest, si dens citò erumpit, infantes nullam præviam fovent diathesin morbosam, symptomata, in primis spasmodica, in remissiori sunt gradu, indiesq; miniuuntur, tunc enim dente vel criticum in morem erumpente, doloreq; cessante, vel, quod frequentius & magis fieri afflolet, saltim ad id magis aptato, naturaliter aliquandiu unam vel alteram v. g. septimanam quiescente, & ad prorruptionem plenariam hinc citra novum assultum secundum accingente, post periculorum nubila gratissimus sanitatis fulget Phœbus, & symptomata omnia, ceu face extinctâ, vel spinâ exemptâ, sponte evanescunt. Contra ea vero ad mortem s^ep^e terminatur, si exitus dentium variis de causis moretur, symptomata quotidiè increscant, imò nova, prioribus non ablatis, succedant, atrociterq; affligant, calculum addat naturæ debilitas, omnibus tunc modis huic oneri ferundo infantum tenebriora corpora redduntur imparia, hinc succumbunt, hinc diem ultimum subire non raro coguntur.

CAPUT

23.
CAPUT III.

Therapeiam subnectit.

§. I.

Quamvis ipsa dentitio absolutè & in se considerata, ceu opus naturalissimum, nullà indigeat curatione, haec tenus tamen examinata remorè ipsam impedientes atque difficilē redditentes, legitimā medendi methodo auferendæ sunt, quo infantum saluti maximè hinc periclitanti mature consularuntur.

§. II. Hoc ut felicius detur effectum, duæ statuæ quasi mercuriales erigendæ, ad quas omne in curatione fleti debet studium, quartum una est, *dentium exitus quantocyanus ut promoveatur, illumq; remonantia obstracula removeantur*; quæ aliæ INDICATIONIS CURATORIÆ atq; PRÆSERVATORIÆ nomine venit: altera *circasymptomatum urgentium celeri medicina ope mitigationem occupata est*, hincq; INDICATIO SYMPTOMATIS dici convexit.

§. III. Priorem quo assequi licet, ceu palmariam, & in qua potissimum curationis versatur cardo, tres isti præsidiorum fontes omne conferunt punctum. PHARMACEVTICUS hinc primò consulendus suppeditat *evacuantia & alterantia tam universalia quam particularia*. Licet verò EVACUANTIA plerumq; aliæ præmitti soleant, præsenti tamen indicationi non semper conve-niunt, cum partim obstet corporum teneritas, partim ultro sub-oriens humorum exagitatio, atq; tam *æw* quam *næt* evacuatio, caute proin cum his mercandum, ne igni oleum affundatur. Ast si urgeat humorum in primis viis restagnatio, alvusq; aliæ per-tinaciter obstructa observetur, unde plura posthinc metuenda mala, præservationis quasi causa *lenia* posunt admitti: ex his verò in specie *manna Calabrina* variâ sub formâ, sive in *✓ cens. nigr. flor. til.* aliisq; ad. *ʒjß* vel ultra soluta, sive liquida ista à Schræd. pharm. med. chim. lib. 4. class. 4. descripta, sive *julepata* juxta descriptionem Hoffm. in clav. vel elect. diacass. cum *manna*, *srupus de cichor.* cum *rhabarb.* pulvis laxat. puerorum similiaque varia, quæ alvum leniter movent, vitiososq; humores citra insignem agitationem educunt. Ipsi quoque nutrici, si infans adhuc lactetur, medicoria propinari queunt purgantia ex jalapiv

jalapio aliisq; evoristis, quæ variis satisfaciunt intentionibus,
 & refractis quasi viribus ad teneriora hæc derivantur corpora.,
 Nec *clysteres* hoc in passu suâ carent laude, qui tanquam catho-
 licum praesidium omnia incommoda ex strictiori alvo alias ori-
 unda apprimè averruncant, possuntq; ex emollientibus & pare-
 goricis, stimulo non adeò fortia addito , domestico etiam com-
 ponni labore.

§. IV. ALTERANTIA proinde sacra erunt anchora , potissimum *particularia*, & ex his in specie *emollientia*, atq; duriorem carnem rumpentia, quæ gingivarum substantiam strictiore den-
 tibus erumpentibus resistentem emolliunt & relaxant, ut facilior ipsi pateat via; suntq; in duplice differentia , ac vel pingvium, oleosorum, vel mucilaginosorum comprehenduntur titulo. De utrisq; constat, quod omnia, quotquot etiam sint , in hæc con-
 veniant operatione, ut fibras extensas atq; strictiores particulis suis roscidis atque obtusioribus emollire & relaxare valeant, unde hoc posito fundamento, non est, ut eorum tantus hinc inde conquiratur apparatus, cum pauca omnem rem expedire possint.

§. V. Frequentius verò feligi hunc in finem solent *bu-*
tyrum recens insulsum, ejusq; *pingvedo anserum*, *gallinarum*,
anatum, *coturnicis*, *leporis*, cui multa tribuuntur , ejuscq; cere-
 brum, *lil. alb. amygd. dulc. rosar. chamam. ungu. de althæa*,
mel virg. vel rosatum, *mucil. sem. malv. alth. psyll.*, *sem. lini*,
witella ovor. fucus recentes, *succ. ex cancri vivis expressus*, aliaq;
 hic non recensenda. Ast omnia non promiscue, sed cum pru-
 dentiâ medicâ debent adhiberi, cum quædam præter emol-
 liendi virtutem aliam insuper foveant qualitatem. Hinc mitio-
 ra atq; temperatiora præmittere fas erit, qualia sunt *butyri*,
lil. albor., *pingvedo coturnicis*, *mucilaginiæ* jam nominatae,
 quæ omnia vel simpliciter applicantur immediate gingivis, vel
 linimenta balsamæq; inde variis componuntur modis. Taleq;
 linimentum ex pingvibus ac *psyllis* compositum apprimè con-
 veniens reperitur apud *Timaum lib. 5. cas. med. 10.* aliosque.
 Balsamum verò hic faciens instar omnium esse potest illud *Myn-*
sichti arm. med. chim. sect. 35. descriptum. Ex mucilaginosis
 verò linimentum hunc in finem potest parari ex *mucil. sem. psyll.*
alth.

alb. malv. sem. lin. cum ▽ ros. extract. addendo sacc. penid. pro gratiā. Circa pingyium applicationem cauitela Strobelbergeri loc. supr. cit. & Amthor. nosocom. infant. c. g. summoperē obser- vanda, ne excessivā quantitate gingivis inungantur, alias ab in- fantibus dum facile deglutiuntur, ad ventriculum & intestina- delata, anorexiā, ventris lubricitatem, aliaq[ue] mala produ- cunt.

§. VI. His gingivarum inunctionibus conjunguntur uti- liter *cataplasma* ex quinq[ue] ipsis emollientibus herbis aliisq[ue] cum lacte parata, quæ maxillis exterius, prius $\frac{3}{3}$ *chamom. lili. albor.* &c. inunctis, applicantur, unde ob loci viciniam vires suas de facili gingivis largiri queunt; Imò sola genarum talis- modi inunctione cum butyro recenti mane seroq[ue] institutā mu- lieres Bohemicas dentitionem facilitare, testis est anteā citatus *Strobelbergerus.*

§. VII. Negotio nondum expedito, his mitioribus suc- cedant fortiora, necesse est, quo nomine celebris in primis est *pinguedo leporina*, utpote abscessibus durioribus rumpendis, spiculisque carni infixis extrahendis alias accommodatissima, in specie vetustior, majorem acrimoniam, & hinc attrahendi vim adepta, chirurgis propterea frequentis usus, quæ durioribus gingivis applicata illas non tam emollit, quam acrimonia suā attenuat atque rarefacit, cui etiam substitui solet *cerebrum le- poris* crudum assatum vē, à quo idem speratur effectus. Simi- le præbent solatium *ficus recentes* in medio scissæ gingivisque tumentibus applicata, haec enim non tantum dentib⁹ resistentes rumpunt gingivas, sed & dolorum præsentaneum adferunt le- vamen, cui fini etiam *Hartmannus in praxi*, *Timeus* & alii unam alteramq[ue] guttam sangvinis adhuc calantis ex incisione crista galli per vices gingivis successu haut contemnendo affrictam laudant.

§. VIII. Præter hæc mulieres, sine medici sæpè præscitu, proprio ausu gingivis prurientibus, quo ipsis blandimentum & rarefactio accedit, orisq[ue] astuantis calor mitigetur, varii ge- neris crepundia applicant, quorum agmen dicit *dens lupi*, *cry- stallus*, *jaffis* canali argenteo inclusus, *obalybs* septies vel ultra

Tandem in lacte caprino extinxus, aliaq; instrumenta varia ex ebore similibusque durioribus levitate simul conspicuis parata, quæ à collo dum dependent, infantes promptè arripiunt, atque gingiyis interponunt, hinc inde movent, deinde commorden- do efficiunt, ut gingivæ, dum dentes intra, crepundia vero ex- tra resistunt, ceu partes moliores, necessariò rumpantur. Ut- ut vero usus horum crepundiorum sit familiaris, multi tamen medici ipsum plane improbat. Sic *Crato in evporiosis, Strobel- berg.* & alii similia rejiciunt, metuentes, ne alveoli dentium po- tius occludantur ac obturentur, densiorq; facta gingiva inter- nacionis cruciatus afferat, uno verbo, ne plus obfsint, quam- prosint. Eligitur propterea eorum loco *baculus glycyrrhiza*, si- rupo convenienti vel melle rosato illitus & consveto modo ap- plicatus. *Jacob. Truncon. loc. supr. cit.* substituit radicem *treos Florent. melle & ol. amygd. dulc.* intinctam. Ast uti hæc cre- pundia præpostérè applicata meritò suam merentur censuram, & facile causarum supra §. 5. cap. præced. memoratarum clas- sem ingrediuntur, ita in totum eorum usus improbari nequit, cum consuetudini aliquid concedendum, in primis dentis lupi, in quo maxima spes apud mulieres residet; (licet vix præ reli- quis, uti *Sylv. l. c.* vult, ob halitum salinum volatiem, conti- nuo quem inter africandum emitit, hocque perforationem promovere creditur, habeat prærogativam,) si modo legitimus eorum observetur usus. Hæc siquidem duriora, quod *Langit loc. supr. cit.* aureum est effatum, convenient tantum primâ in- vasione, prurigine gingivarum citra inflammationem præsente; hæc quippe si accedit, dolorque conjungitur major, dum dentitionis labor in suo visitur vigore, infantes horum instrumen- torum duritiem, cuius ratione dolor exacerbatur, abhorrent. Hoc itaque tempore, ejusdem consiliō, sepositis durioribus, nutrix digitum potius ori infantum immittat, aut *candela cerea*, vel denique omnium optimè *crista galli* oppidò magna ipsi masticanda præbeatur, quorum crebriori commorsu dolorum lenimen querit tenellus, & gingivarum laxationem negotiumq; perforationis vel nescius accelerat.

§. IX. *Periapta & amuleta, difficilioris dentitionis expe- diundæ*

800

diundæ causa plurima hinc inde commendantur & applicantur, cujus sortis sunt *dens hominis primo excisus*, qui terram non attigit, *dens equi* primum natus, *pellis lupi*, *rad. colocynthidis sylvestris* canali argenteo inclusa, *rad. martagi*, *chelidonii majoris*, *dens viperæ masculæ*, *glossopetra Melitenis*, *lana agnina*, cum corio collo appensa, *jaspis viridis* appensus, ut ventriculum attingat, in specie *lapides gammaeorum*, qui certo experientia magneticâ fal acutum, dentitionis tempore in sanguine ebulliens, attrahere dicuntur, cujus vi & ipsi corroduntur & calcinantur, ut quasi pulverisati excidant, aliaq[ue] longâ serie, recensita à Bonaciol. enneade muliebr. cap. 8. Camer. mem. med. cent. VI. part. 43. Hæc vel similia credulæ mulieres, maximâ felicioris effectus fiduciâ, specq[ue] indubitatâ, collis infantum alligant, omnesq[ue] successus secundos, vel à naturæ benignitate, vel aliis adhibitis remediis qui contingunt, unicè periaptis talismodi adscribunt. Verum falluntur, specq[ue] lactantur inani, cum, meo quidem judicio, hæc plerumq[ue] fabulosa appensione hac solâ fidum vix edere possint effectum, quin potius, juxta Plateri de lœf. funct. part. e. p. 541. ēt iueci, non viribus vulgo ipsis attributis, sed apprehensione simulq[ue] frictione juvent. Locum tamen merito quoque relinquimus illis eatenus, quatenus quædam horum effluviis suis in corpus continuò diditis epileptica symptomata arcent.

§. X. Evenire non infreuenter solet, ut remedia pharmaceutica jam enumerata dentitionis difficultatem non tollant omnem, quapropter FONS CHIRURGICUS in subsidium trahendus, generosis præsidii suis residuos nodos Gordios *Σχιρίστης* promte & feliciter expediens. Peragi vero ea diversis solet modis, interdum quippe ipse nutrices chirurgi sustinent munus, dum ejus manum fertiq[ue] aciem reformidant, hinc gingivæ à dentibus tumentes instrumentis suis naturalibus, ungibus puta, scalptu fortiori dissolvunt, qui tamen modus variis de causis non temere imitandus. Convenientior ille videtur, qui multis in frequenti est usu, quando nimirū dentitionis tempore gingivarum visitur tumor, varia insimul adsunt signa difficultatem operis monstrantia, gingivas eā in parte, ubi tument,

pollice, donec dentes intus latentes prodeant, comprimunt, hanc ratione ipsis ad exitum liberam parant viam; dolor quoque inde exoriens cum sit subitaneus, nil aestimandus, id quod feliciter nonnunquam factitatum meminimus. Alii contra, quorum antesignanus est *Paracelsus de hom. gener. cap. 67.* potius ad ferrum consurgunt, gingivasque dentibus resistentes fortius scalpello incidunt, ut, illis vi ferri ruptis, dentibus pateat exitus, & quidem commodius, quam dilaceratione jam memorata, quemadmodum ejus felicem successum experientiam insuper suam confirmat *Binning. cent. IV. obs. 25. p. m. 398. Borell. cent. I. obs. 97. Schenck. obs. f. 219.* Ait uti generosae ac heroicæ talismodi operationes non temere citra urgentem necessitatem, ita urgente illâ nulloque expediente alio praesente, nec timidè, sed sepositâ omni periculorum formidine, audacter à cordato exerceri solent medico, quæ & huic difficultati, omnibus aliis remedii cedere renuenti, finem imponunt.

§. XI. Posteriorem quoque flatuam, symptomatum mitigationem concernentem, remedii ex predictis fontibus desumptis veloci plantâ adire licet; quamvis enim pleraque, difficultate operis sublatâ, sponte suâ fatiscant, sàpè tamen hâc durante adeò atrociter urgent, ut citam medici opem manumque medentem à predicta difficultate ad se rapiant, insuper dentibus jam tum egressis haut raro pertinaciter subsistunt, præprimis, ubi dispositio adest, ac, nisi heroicis expugnentur præsidii, internecionis praxin exercent.

§. XII. CHIRURGIA hinc ad symptomata tum præcavenda, tum curanda generosorum præsidiorum porrigit trigam: (1) *Fonticulos* nuchæ aliisque vicinis capiti partibus applicando, quibus convulsionum dispositiones furca quasi expelluntur. (2) *Vesicatoria* iisdem locis adhibita, quæ serum acre, convulsorum motuum autorem, in caput nimis suffundi aptum, evacuant atque retrahunt, præsentaneum largientia juvamen. (3) *Hirudines* venis jugularibus utriusque lateris adpositas, quarum suetu sanguis variis peccans modis pro lubitu sine sensu notabili molestia evacuari potest. Hanc præsidiorum trigam *Willius loc. citato* infantibus paucorum dierum appli-

applicatam egregiis extollit laudibus, quā lethiferas alias **convulsiones** feliciter profligavit. Ast quamvis hæc remedia exteris satis sint familiaria, votoq; sic satis respondeant, nostrarum tamen regionum matres infantibus ut applicentur, vix permitunt, ne afflictis nova succedat afflictio.

§. XIII. PHARMACEUTICIS proinde **remediis** symptomatum caterva aggredienda erit, & quidem **alterantibus** partim nutrici, partim infanti adhibitis. Cum verò duo symptomata magis urgētia præ reliquis in curatione respici debeant, **febris** nimirum atq; **convulsiones**, (inflammationem enim & dolorem pleraque supra commendata emollientia, quæ simul anodynâ pollent virtute, mitigare valent,) **illa**, utpote symptomatica, nec malignitatem facile adjunctam habens, ne in essentiale fatiscat, **alterantibus** ac **præcipitantibus**, seu **invertentibus** domari poterit, commodissimè verò ∇ eis æstum restingventibus, ∇ eis atq; **alcalinis**; **acida** enim, quæ egregiè alias suum faciunt munus, ob varia incommoda hic videntur suspecta, nisi sint mitiora, & dosi solum refracta cum ∇ eis misceantur. Huic scopo inserviunt ∇ æ refrigerantes, v. g. **portulacea**, **endiviae**, **acetosella**, **nymphæa**, fl. **acacia**, **syrupus de hyacinto**, **corall. buglossæ**, **borraginis**, **rosarum**, sem. 4. **frigid.** **major.** **C.C.** **pbil.** **ppt.**, **unicorn.** **foss.** **lap.** **magist.** **corall.** **bez.** **miner.** **pult.** **bez.** **Sennert.**, **absorbens** **Ex-cell.** **D.D.** **Præsidis**; aliaq; ex quibus pro lubitu facile parari queunt potionis cum sirupis, emulsiones cum saccharo perlato edulcandæ, quæ infantibus præ pulveribus siccioribus magis gratae sunt. Imò nutrix, quasi ipsa febricitaret, similia quoq; assumere commodè potest, quia haut raro infantes omnem medicaminum aversantur usum, & hoc modo character medicamentosus lacti imprimitur.

§. XIV. **Convulsionibus** potenter obviam eunt **nervina**, ex his verò **temperatoriæ** in primis ac **fixiora**; vigiliæ si quidem spirituumq; exagitatio **volatilia** atque \square noſa vix admittunt, unde hunc in finem feligi possunt **rad.** **peon.** **maris**, **visc.** **coryl.** **ungul.** **alces**, **cran.** **hum.** **mag.** **perlar.** **corall.** **rubr.** **anthera lycopodii** cum **syrupo betonica**, **succin.** ∇ **epilept.** **Lang.** fl. **paon.**, **tilia**, **ceras.** **nigr.** **bez.** **yle**, **dens hippopotami**,

ruf. ebor. cinnabaris tām *nativa*, quām *gii*, quē instar est omnium, & cuius encomia inter omnes nota sunt. Ex compositis se commendant experientā comprobati *pulveres*, *cephalici* atque *nervini*, quorum basin constituunt partim superius nominata, frequentius verò *cinnabaris*, uti sunt *epilept.* *Cretton.* *Michaël.* *pulv.* *Marchion.* *pueror.* *August.* similesq; quorum farraginem sufficientem suppeditat *Macas.* *prompt.* *mat.* *med.* *lib.* 2. *sc̄t. XI. cap. i.* Hæc, prout usus postulat, medici prudentiā atq; intentione, ratione doseos ac compositionis, facile possunt dirigi, modoq; infanti, modo nutrici exhiberi. His *opiata* si associantur, effectus erit felicior, hæc enim non tām humorum spirituumq; exagationi, quām inde dependentibus *vigiliis* frēna injiciunt, illasq; compescunt; ast summā cum cautelā infantibus his tenerioribus adhibenda, imprimit doseos ratione, quam etiam grana parti debent. Hæc namque si excedat, varia contingunt incommoda, multo labore postmodum corrigenda, in specie langvor, totiusq; capitis stupor, quem infantes inde sentiunt, cujus gratia latius videri mereatur *Excell.* *D. D. Pr̄sidis Opiologia.* Taceo jam quibusdam in locis usitatam muliercularum curam convulsionum, quam instituant sudore equorum fasciis collecto; has enim ephippio dum substernunt, eqvum stimulis concitari, cursuque velociori tamdiu defatigari curant, donec totus quasi spumescat, hinc fasciis istis calentibus ac copiosiori equi sudore mandentibus infantes involvunt cum maximā reconylescentia fiducia.

§. XV. Diarrhoea verò atque *vomitus*, licet aliàs symptomata satis urgentia, hoc in casu tamen non statim pr̄postero ausu inhibenda, cum sint excretiones quasi criticæ, per quas humorum vitiosorum faburra commodè expurgatur, hincq; materia, convulsiones aliàs progenerans subducitur. Sin verò limites supergrediantur, simulq; enormem virium jacturam pariant, fixioribus absorbentibus atq; theriacalibus possunt refranari, v. g. *bol.* *Arm.* *¶* *sigill.* *matr.* *perl.* *conch.* *ppt.* *C.C.* *usto*, *sem.* *plantag.* *corall.* *tragea* *gran.* *ates*, *pulv.* *stypt.* *D. D. Pr̄sid.* *simili-* *bisq;* quibus si anodynī vel theriacæ parum admisceatur, hisce fluxio.

fluxionibus apprimè proficuum, & aliis unà symptomatibus debitum emergit medicamentum.

S. XVI. Residua tandem symptomata, *ptyalismus* scilicet atque *tussis siccâ*, nullâ peculiari indigent medelâ, cum sedatâ humorum exagitatione, doloreq; cessante, hæc ultrò evanescent. Sin verò *faucium exulcerationes*, *aphæbe*, aliaq; pertinacius interdum subsistant, debitum remediis ex *Paul. Sorbait loc. sepè cit.* aliisque abundè hauriendis profligari poterunt.

S. XVII. DIETETICUM deniq; succedat REGIMEN naturale, vi-
tale, & animale, quod nutrici atque infanti legitimum sex rerum
non-naturalium præscribit usum. In *naturali* quidem cibum po-
tumq; laudabilem, nec quantitate nec qualitate vitiosâ lac coa-
gulare, aliisq; modis corrumpere aptâ peccantem imperare,
convenit nutricibus, imò, citra febrim fieri si potest, calidum ac
humidum, quò sic *γαργαρά*, partibus nutrientis augendisve
aptissimum, cum lacte infantibus communicetur, dehinc verò
dentes copiosius dum adsciscunt nutrimentum, felicius torulis
suis egrediantur. Sin verò intemperies obstet febrilis, tenuis vi-
etus refrigerans substitui debet. Quoad infantes, eadem suo
modo etiam valent, licet hi adeo strictis diæta regulis non
semper obligari possint. Copiosior lactis suctus febris tempo-
re improbatur quidem à *Parao loc. cit.*, quia ob motus humo-
rum vitiosos circa ventriculum ac intestina tunc contingen-
tes lac variis corrumpi potest modis, quapropter *potiones ex*
Δις refrigerantibus cum *sirupo granatorum*, *de limonibus*, aliis
vè paratæ infantibus sitientib; laetis materni loco gratissimū ac
ututissimum ab ipso dicuntur refrigerium. Verum consultum ma-
gis videtur, potum conservet, lac nempe maternum, retine-
re, quam medicamentosis his teneriora corpora onerare.
Fabulosum insuper videtur pulmentum istud primum, super-
stitione cum lacte matris paratum, atque infantibus exhibitum,
in subsecente dentitione facilitanda famigeratissimum. Jun-
gantur modò his, insimulq; probè observeruntur in diæta *vitali*
& *animali* nutricibus infantibusvè hinc inde præscriptæ, nec
hic loci repetenda, regulæ, & prosperrimus molestiarum spe-
randus erit

F I N I S.

850.

Cum deſit tempus pangendi carmina docta,
votum hoc ſufficiat: Sit TIBI fauſtus honor.
Pauculis hiſce Nobiliflmo Domino Doctorando
animitus gratulatur
Rudolphus Wilhelmus Krauß/ Phil. &
Med. D. P. P. h. t. Acad. Rector.

UT non erumpunt unā factō agmine dentes,
ſed maturatos ſenſim novus excipit adſtes,
donec poſtgeniti decore aucto marmora claudant;
Sic vice non unā benē cultā mente probatā
in ſophico medicoque choro, nunc robore adulto
dens sapiens ſummiſum ſtudiis decus arrogat. I nūc,
eduç in cathedralm ſupremum opus, atque capelle
ingenio, virtute, laboreque præmia parta.

Nobil. & Clariss. Dn. Doctorando, honores in medicinā ſummos ex merito ambienti, gratulor invidendos ſucessus

P R A E S E S.

Cum primū sapit imperitus infans,
tunc illi incipiunt tumere dentes.
Tu prodiſ sapientia vigorem,
disquirens animo sagace dentes.
Hinc jam digna Tibi corona fertur.
Acclamo: Emineat magis magisque
virtus; fama Tibi deęusque crescat!
dona p[ro]d[uc]tis, h[ab]et vovet
Nobiliss. Dn. Doctorando, Adfini honorando,
Augustinus Henricus Faſchius, D. P. P.

Nitere KRAUSOLDI: fayet iſtis Incluta Jena,
qvos ſua ſedulitas urget & artis amor.
Nitere: Te pridem laudat fauſtumq[ue] laborem,
inq[ue] tuos nutus annuit illa libens.
En! mirata tuos alias Hygieia cathedral
conatus, rurſum plaudit amœna Tibi.
Hic qvoq[ue] complaudit verſus, dentesq[ue] benignos
optat, fauſta precans Patribus atque Tibi.
In teſſeram candidi conſtantiq[ue] amoris relinquebat
Simon Andreas Beckerus, Med. Licent.


153154

X2615746

R

WFA

B.I.G.



DIVINA ADSISTENTE GRATIA!
DISPUTATIONEM MEDICAM
INAUGURALEM,
De
**DENTITIONE
INFANTUM,**
*Fusse atq; autoritate Gratiissimæ Facul-
tatis Medicae in inclutâ propter Salam Academiâ,*
P R A E S I D E
VIRO EXCELLENTISSIMO,
**DN. GEORGIO WOLFF.
GANGO WEDELIO,**
Med. Doct. Theor. Prof. Publ. Med. Ducal.
Sax. Facult. suæ h.t. Decano, nec non S. R. I.
Natur. Curios. Adjuncto,
Domino Patrono, Praeceptore atq;ve Promotore suo omni obser-
vantie honorisque cultu etatem venerando,
PRO LICENTIA
Summos in arte Medica HONORES atque PRIVILEGIA
DOCTORALIA legitime ac majorum more
capessendi,
publico philiatrorum examini subjicit
JOHANNES ERNESTUS Grausold /
VINARIENSIS,
In AUDITORIO MAJORI, Horis ante- & post- meridianis,
Ad diem Augus*t*i, anno MDC LXXVIII.
JENÆ, Literis NISIANIS.